



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Historiae Ecclesiasticae Pars ...**

HISTORIAE EC||CLESIASTICAE PARS || PRIMA, QVA CONTI-||NENTVR ||  
Eusebij cognomento Pamphili Cæsareæ Palæ-||stinæ Episcopi lib. 10.||  
Eiusdem de vita Constantini magni lib. 4.|| Oratio Constantini magni ad  
sanctoru[m] cœtu[m].|| Oratio eiusdem Eusebij in laudem Constanti-||ni  
magni ad trigesimum ...

**Christopherson, John**

**[Köln], 1569**

Quo pacto Iacobus qui frater Domini appellabatur, martyrium paſsus sit.  
Cap. XXII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29861**

## EVSEBII HISTORIAE

I liberatus sum ex ore Ieronis; & illud: Liberabit me Dominus ab omni opere malo, seruabitque in regnum suum celeste. In quo quidem suum mox futurum declarauit martyrium. Quod etiam planius in eadem epistola paulo ante praedixerat. Ego enim iam delibor, & tempus dissolucionis mea in stat. Iam vero in epistola ad Timotheum secunda, Lucam solueri illi, dum scribebat, adfuisse declarat: atque in priore defensione, ne istum quidem. Vnde vera constat, Lucam de Actis apostolorum scribentem eo tempore sine fecisse: neque ultra tempora, quibus cum Paulo versabatur, historiam deduxisse. Ista sunt eo animo a nobis commemorata, ut ostendamus Paulum non primo eius ad urbem Romanam aduenientem, quem Lucas recenset, certamen co fecisse martyrij, verissimile enim est Neronem in principio imperij sui mitius mansuetiusque affectu, Pauli defensionem pro religione Christiana allatam benignius faciliusque admisisse: verum cum ad nefandam & intolerabilem audaciam processisset, inter alia crudelia eius facinora, ea etiam, quae contra Apostolos edebat, aggressum esse.

*Quo pacto Iacobus qui frater Domini appellabatur,  
martyrium passus sit. CAP. XXII.*

**I**Udixi ergo, cum Paulus prouocasset ad Cæsarem, & ad urbem Romanam a Festo missus esset, spe penitus, qua cordum filium in eius necem comparassent, excidentes, in Iacobum fratrem Domini (cui ab Apostolis sedes episcopalis Hierosolymitana delata fuit) omnem suam malevolentiam conuertunt: contra quem ea scelera quæ sequuntur comparata fuere. Primum illum in mediū adducunt, & ut fidem Christi coram omni populo deneget, vehementer sollicitant. Verum cum præter omnium opinionem liberiore ore vocèque quam expectarent, præsente vniuersa multitudine, filium Dei, seruatorem & Dominum nostrum Iesum, ingenue & fidenter confessus fuisset, hominis testimonium (ram propter summum sapientiae & pietatis studiū, quod in vita assidue excoluerat ab omnibus iustissimus putabatur) amplius tolerare non poterat.

Eum

Eum igitur tum neci dant, cum ad illud facinus impune obenndum interregni opportunitatē arripuissent. Quippe Festo per id temporis mortuo, summa rerum in Iudea administratio principe & gubernatore penitus erat destituta. Ceterum quanquam Iacobi necis ratio & modus ex verbis Clementis, supra citatis, satis constare poterit, (qui quidem eum à templi pinna præcipitatum, fullonisque vecte percussum, mortem oppetiuisse narrat) Aegerippus tamen Apostolorum ætati proxime succedens, in quinto, ea quæ ad illum spectant, historiæ suæ libro, accuratissime tradit ad hunc modū. Jacobus frater Domini, qui à seruatoris temporibus ad nostram usque ætatē Iustus (Iacobi enim nomine multi donati erant) ab omnibus appellatus fuerit, ecclesiæ administrationē una cum cæteris Apostolis suscepit. Hic ab utero matris suæ sanctus fuit: vinum & sicerā non bibit: animalium carnibus se abstinuit. Nouacula caput eius nunquā rasum fuit, neque corpus oleo perunctū, aut balneis lotum. Huic vni licet in Sancta sanctorum ingredi, vestibus enim vtebatur non laneis, sed lineis dūtaxat. In templū solus intrare solitus est: atq; ibi genibus humi positis pro populi pecatatis veniam postulare: cuius genua, quod tam assidue tum ad Deum auguste sancteque adorandum, tum ad veniam præcibus populo exposcendam, procumbebat cameli instar, tuberculis contractis obduruerint. Qui propter singularem iustitiae præstantiam, Iusti & Obligatae (quod latine populi præsidium dici potest & iustitia) non men, sicuti prophetæ de eo memorant, inuenit. Quibusdam igitur ex septem sectarū fautoribus in populo sparsum, & à me in historia ante declaratarum, ab eo sciscentibus, quodnam esset ostium Iesu, respondit Iesum esse seruatorem. Ex quorum numero nonnulli crediderunt, quod Iesus esset Christus. Sectæ autem supra scriptæ neque carnis resurrectionem fore, neque illum venturum qui cuique sit pro his, quæ recte aut secus gesserit, in vita, mercedem redditurus, omnino crediderunt, verū quotquot crediderūt, Iacobi prædicatiōe & hortaru crediderunt. Ergo cum pleriq; etiā ex principibus viris fidē essent amplexati, nonnulli ex scribis, Pharisæis & reliquis

## EVSEBII HISTORIAE

Judeis tumultuari atque adeo vociferari cœperū, quod  
vniuersus fere populus Iesum existimabat verum esse  
Christum. Qui etiam ad Iacobum profecti, sic compel-  
lare: te obnixe oramus, ut quoniam populus, fide in Ie-  
suin, perinde ac si verè esset Christus, collata, in grauem  
errorem delapsus est, eum ab hac opinione auoces: atque  
ut omnes etiam, qui hodie ad festum diem Paschalis ecclæ  
brandum conuenerint, de Iesu recte vereque erudias,  
et etiam atq; etiam obtestamur. Tibi enim omnes fidem  
adhibemus: non nos solum, sed tota etiā multitudo per-  
hibet testimonium, quod iustus sis, quodq; personam nō  
respicias. Persuadeas igitur populo de Iesu, ne erret.  
Erenim & vniuersus populus & nos omnes tibi credim⁹.  
Idcirco statue teipsum super pinnam templi, ut de supe-  
riore loco cuiuscum conspicuus sis, atq; adeo tua verba à  
tota multitudine facile & sine impedimento audiantur.  
Propter festum namque Paschalis non solum omnes lu-  
dorum tribus, sed multi etiam ex gentibus conuene-  
rant. Proinde scribæ & Pharisei, quos supra posuimus Ia-  
cobø supra pinnam templi collocato, cœperunt exclama-  
re ac dicere: O Iuste, cui omnes merito debemus fidem  
adiungere. Quoniam populus Iesum crucifixum imitādo  
aberrauit, tu idcirco nobis commonstra, quod sit ostium  
Iesu crucifixi. Qui clara voce sic respondit: quid me in-  
terrogatis de Iesu fili⁹ hominis. Ipse sedet in cœlo à de-  
xtris magnæ virtutis & potentie Dei, & in nubib⁹ cæli  
venturus est. Atque cum multi plenè essent persuasi, &  
ob Iacobi testimonium Deum laudibus in cælum ferrēt  
dicerentq;, Osanna filio Dauid, scribæ & Pharisei de in-  
tegro cœperunt, primum inter se ita colloqui: Male cer-  
te & infeliciter cecidit, ut istud testimonium nostra o-  
pera Iesu tribueretur. At consensis gradibus, illum de-  
iijciamus præcipitem, ut homines inde perterrefacti, nul-  
lam fidem eius doctrinæ adhibeāt. Deinde clamare ac di-  
cere. O, o, Iustus etiā errauit. In quo eloquia sacra apud  
Isaiam scripta plane expleta fuere. Tollamus è medio Iu-  
stum, quoniā nobis molestia est & incomodo. Quocirca  
fructus operū suorū comedent. Tandem ergo ascendētes,  
Iustū præcipite dederūt, dixerūtq; ipsi inter se: Iacobum

Iustum

Iustū obruere oportere lapidibus. Et quoniā deiectus in  
præceps, nō statim morte obiit, sed vultu sursum sublato  
genibusq; flexis dixit (obsecro domine Deus pater, da il-  
lis veniam. Nesciunt enim quid faciunt ) cœperunt saxa  
in eum coniicere. Cumque lapidibus illum obterere per-  
gerent, unus de sacerdotibus ex filiis Rechab, filii Re-  
chabim, qui sunt Hieremiacē testimonio commēdati, voce  
emissa contentius dixit. Quid agitis. Iustus pro vobis  
Deum precatur. Attamen unus ab illis, qui fullo erat, ar-  
repto veste, quo uestes solēbat premere, in caput Iusti im-  
pedit: ita vitam beato & felici martyrii cruciatu affectus  
afflictusque amisit. Inque loco quodam prope templum,  
vbi columella eius nomine inscripta adhuc manet, cor-  
pus tumulo mandatum est. Iste Iacobus tum Iudeis, tum  
Græcis verus & incorruptus testis fuit. Iesum verè fuisse  
Christum. Non multò post Vespasianus Iudæā obsedit.  
Iudæosque redigit in seruitutem. Hæc Clementis histo-  
riæ more consentientia Egesippus vberius pleniusq; ex-  
pliavit. Iacobus igitur vir in primis admirabilis, & om-  
nium sermonibus propter illustre iustitiæ decus magnopere  
celebratus fuit: vsque adeo, vt qui inter Iudæos ha-  
berentur prudentes, hanc esse caussam putarent, cur tam  
cito post eius martyrium obsidione Hierusalem vndiq;  
cingeretur: quam profecto obsidionem nulla alia de re  
illis obtrigisse creditur, quām quod tam audax facinus &  
scelus inexpiable contra illum consciuissent. Nam Iose-  
phus etiam non grauabatur, hoc idem suorum scripto-  
rum testimonio euidenter confirmare, iis ferè verbis: Iu-  
dæis quidem ad scelus vindicandum in Iacobum Iustum,  
fratrem domini, qui dicitur Christus, ab illis admissum  
(illum namque iustitiæ facile primas ferentem impie neci-  
dederant) istæ obuenere calamitates. Idem author in vi-  
gesimo Antiquitatis libro, eius quoq; mortem hoc mo-  
do narrat. Cæsar cum de Festi morte esset certior factus,  
Albinum præfectum & procuratorem in Iudæam misit.  
Ananus Iunior, qui summi sacerdotij dignitatem vt di-  
ximus, obtinuit quiq; moribus præfractus & supra mo-  
dum audax temerariusq; sectam Sadducæorum, qui in  
iudicis ferendis (vt supra positum est) sunt præ ceteris

E 5 Iudæis.

## EVSEBII HISTORIAE

Iudæis crudeles & acerbi, sedulo securus est, ratus se opportunū tempus noctum, tum propter Festi mortem, sum, præterea quod Albinus adhuc inter vias moram ficeret, concilium confessumque iudicium coegerit, ac cum fratrem, Iesu Christi nomine Iacobum, & alios quosdam cum illo, in iudicium adduxisset, crimenque in illos, quasi fuissent, leges perfringere & violare conati, falso confinxisset, lapidibus obruedos tradidit. Verum qui in ciuitate modestissimi esse, quique legum præscripta accurate exequi, videbantur, rem sanè grauiter & acerbe ferre cœperunt, ad regem Agrippam clam legatum mittere, illum deprecari, ut literas ad Ananum daret, quo minus deinceps talia patraret facinora. Nam hoc primo iam tempore cum parum considerate rem gessisse affirmarunt. Nonnulli, porrò ex illis Albino Alexandria iter capienti obuiam, prodire, docere quo pacto absque eius sententia Anano, non licet consilium cogere statueré. Albinus his verbis persuasus, iracunde ad Ananum scribit: sequēde eo pœnas sumpturum interminatur. Rex Agrippa ob hanc causam illi, cum tres iam menses præfuissest, summi sacerdotii adimit officium: & Iesum filium Dannæ ei muneri præficit. Hæc de Iacobo literis prodita sunt, à quo prima epistolarum, quæ catholicæ nominantur, dicuntur scripta esse. Illud tamen nos minime præterire debet, quod licet à quibusdam tanquam adulterina & minimè germana propter ea iudicetur, quod non adeò multi ex veteribus illius epistole, sicut nec eius quæ dicitur Iudæ (quæ etiam in septem Catholicarum epistolarum numero ponitur) ullam omnino mentionem faciant, tamen nos istas cum reliquis, in quam plurimis ecclesiis publicè receptas approbatasq; cognouimus.

Primus Alexandrinæ ecclesiæ episcopus post Marcum Anianus constitutus est. C.A.P. XXIII.

**O**ctavo anno imperii Neronis Anianus, vir tum Deo propter pietatem charus, tum in omnibus rebus admirabilis, primus post Marcum euangelistam in ministerium ecclesiæ Alexandrinæ successit.

De